



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 28. Lancianensis Episcopi dubia contra hoc decretum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](#)

**Sac. XVI.****A.C. 1562.**

cretum proponi, illudque his verbis  
conceptum prælegi jussit:

### §. XXVII.

*Decretum pro Sessionis prorogatione.*

**Labb. p. 845.****Pallav. l. c.****num. 6.**

*Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis legatis, propter varias difficultates ex diversis causis exortas, atque etiam ut congruentius, majorique cum deliberatione omnia procedant, nempe ut dogmata cum iis, quæ ad reformatiōnem spectant, simul tractentur, & sanciantur, ea, quæ statuenda videbuntur, tam de reformatione, quam de dogmatibus in proxima Sessione, quam omnibus indicit in diem sextam decimam subsequentis Mensis Julii, definienda esse decrevit, hoc tamen adjecto, quod dictum terminum ipsa Sancta Synodus pro ejus arbitrio, & voluntate, sicuti rebus Concilii putaverit expedire, etiam in generali congregatione restringere, & prorogare libere possit, & valeat.*

### §. XXVIII.

*Lancianensis Episcopi dubia contra hoc decretum.*

**Pallav. l. c.**

*Hæc postrema Decreti verba Leonardum Marinum Lancianensem Episcopum non nihil offendebant, hæc obijiciens: „nequaquam permittitur, ut mutet.*



, mutetur, aut contrahatur tempus in Sæcul. XVI.  
,, solemni Sessione decretum, præcipue, A. C. 1562.  
,, cum possit in detrimentum aliorum id  
,, cedere, sed duntaxat conceditur, ut  
,, ejusmodi tempus protrahatur, cum id  
,, nulli noxium sit, potest tamen id sua-  
,, pte natura æque fieri in Sessione, ac  
,, in quodam Patrum conventu: qua-  
,, propter censeo, vocem hanc *restrin-*  
,, *gre* e decreto esse eliminandam ;,, cum  
autem aliis opposita inesset sententia,  
atque hanc cautelam ad prævertendas  
omnes difficultates forte exgentes  
per opportunam esse contenderent, hinc  
decretum ab omnibus fuit approbatum.  
Præterea nonnisi triginta sex numera-  
bantur Episcopi partim Hispani, par-  
tim Itali, quorum nonnulli scripto, alii  
autem ore tenus sua suffragia dabant,  
atque ea, quæ in nupera Congrega-  
tione fuere exposita, confirmabant, nec-  
non vel sub conditione hac, *si postea*  
*ageretur de residentia*, consentiebant, aut  
hunc articulum decreto insertum diser-  
tis verbis promitti postulabant, vel de-  
nique continuationem declarari pete-  
bant: postremo tandem Seripandus  
verba faciens inquiebat: „gratias ago  
„Deo, quod decretum in præsenti rerum  
„vicissitudine adeo utile fuerit approba-  
„tum: porro cum jam triginta tres Præ-  
„sules suam mutarint sententiam, cete-



**Sæc. XVI.****A.C. 1562.**

„ros quoque brevi eadem facturos spe-  
„ro, „ Denique surgentibus Legatis  
quivis sese ad sua recepit.

## §. XXIX.

*Articuli in generali Congregatione  
proponendi, atque exa-  
minandi.*

**Pallav. l. 17.** Biduo post Sessionem, die sexta Junii  
**s. i. n. i.** Patres in generali cœtu congregati  
**Raynald.** sequentes proponebant articulos, qui  
**hoc ann.** mox ab inferioris Ordinis Theologis  
**num. 49.** examinandi jam antea in Concilio sub  
Julio III. proponebantur, erantque nu-  
mero quinque circa Sacramenti Eucha-  
ristiæ usum, ac quidem quæsitum. I.

„An ex Divino præscripto quilibet Chri-  
„stianus teneretur utramque speciem  
„sumere in Eucharistiæ Sacramento.

II. „An rationes, quibus Ecclesia  
„Catholica adducta est ad Eucha-  
„ristiam præbendam laicis, & etiam Sa-  
„cerdotibus non celebrantibus sub sola  
„panis specie, adeo retinendæ essent,  
„ut nullo pacto usus calicis ulli esset  
„permittendus.

III. „Utrum tunc, si ex honestis  
„causis, & charitati Christianæ con-  
„sonantibus, æquum videretur conce-  
„dere usum calicis alicui nationi, seu Re-  
„gno, habendum id esset sub quibusdam  
„conditionibus, & sub quibus id fieret.,,

IV. An

